

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Daniel Simonius Johannes Crusemarcius

**Exercitationum Practicarum Decima Sexta, Doctrinam De Reipublicae Collapsu
Et Modo Restaurandi: Per Praecepta, Quastiones & axiomata Synoptice exhibens**

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729610829>

Druck Freier  Zugang



R U phil 1643.
Daniel Simonius
Johannes Crisnarius



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729610829/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729610829/phys_0002)

DFG

EXERCITATIONUM PRACTICARUM DECIM A SEXTA,
Doctrinam

RE IPUBLICÆ
COLLAPSU ET MODO
RESTAURANDI:

Per Praecepta, Quæstiones & Axiomata
Synopticè exhibens,

Quam

Auspiciis summi rerum Arbitri
Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
In illustri Academiâ Rhodopolitanâ

PRÆSIDE

HUMANISSIMO & EXIMO VIRO
DN. M. DANIELE SIMONIO,

Nöribergensi, Neo-Marchico,
Publica placidaq[ue] Philosophantium Alexandrinæ
subiicit

JOHANNES CRUSEMARCIUS,
Perlebergâ-Marchicus.

In auditorio Majori ad diem 29. Julii,
horis matutinis.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILLI, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLIII.

Miratio Kemp. contra aeram
S. amico s. optina

- 1 In se
 {
 1. **Sed ist essentialis**
 {
 1. Ita est unius in oppositum
 2. Status unius species in altero.
 2. **Accidentalis**
 {
 1. Ratione qualitatum, cum status in
 tenden, vel remittit ut cum
 regum sit dominatus
 2. Ratione partium cum magis
 {
 1. prout status invenit auct
 2. ex tempore agens
 3. in casis eorū
 {
 1. falso. iuris Placitis, Alteri facti-Placitis, Con
 tra figurant Chydrum genit, inchoatum etiam
 Eius est dico et Selv.
 4. Ver
 {
 1. Communis omnium Regim.
 {
 1. remota dimidij, proximum fatum, dolobalatia
 2. Supressus pauperi, libidine, ~~pauperi~~, ~~libidine~~
 3. proxima ~~supressus pauperi~~, ~~libidine~~, ~~pauperi~~, ~~libidine~~
 4. Intercessum nostrum e' feditis cuiuslibet eam
 {
 1. postmodum exonerat & pol. e' ad nat. alij Religionum
 2. cibitudoem de quadrante id sententia sit reverta
 5. terce et quarti defensio sociorum seditionis ad
 {
 1. hostes illorum quos bello subegimus rebellis barbaro
 2. locum blunderas & regnentia
 3. long. dyp. poss. thes. q. 5 Jacob Martin.
 6. Species p. quolibet statu Englatis, Aristocratis
 {
 1. monarachico hi cum Paulo & Gasco regi
 2. consilio initio in conpossunt, in
 mutacionum potest in facto inconsistere, quam
 regalis potest posse gerere.



CUM DEO.

Vit & morbum corporis humani preceavere
& laborantes homines pristina valetudini
restituere, res est Medico ardua & maxime
difficilis : Ita Reip. quæ ruinam minatur,
bene consulere, eandem labantem erigere
& ab interitu vindicare, summi res est laboris, & Politico
scitu maximè necessaria, imprimis hoc temporis articulo, quo
adficiissima nostra Germania belli morbo & cladibus acce-
ptis decumbit gravissimè : Non incommodè igitur jam de
conversione & eversione Rerum publ. ad quam materiam
ordinis etiam ratio nos deducit, ultimò tractationem suscipi-
mus, iuquisturi mutationum causas & remedia, Tuo o Deus
freti auxilio. Sint ita.

PRÆCEPTA.

1. Collapsus Reip. est mutatio (a) ejus, cum vel ex optimo sta-
tu in deteriore convertitur, vel ita evertitur, ut imperantium &
subditorum discrimen tollatur, aut populo funditus deleto ipsa for-
ma omnino pereat.

2. Causæ collapsus vel sunt spuriæ vel veræ & legitimæ : Spu-
riæ (b) sunt : Numeri Platonici : certæ stellarum positiones : fa-
tum : terræ motus : Eclipses : Comætae : Periodi fatales. Veræ sunt
vel internæ quæ ab ipsis Imperij membris proveniunt ; & quidem
vel à solo Magistratu, vel à solis subditis, vel à Magistratu & Subdi-
tis simul : vel externæ, quæ extrinsecus Reip. ruinam inferunt.

3. Causæ internæ à Magistratu provenientes sunt : (c) Injustitia,
subditorum expilatio, & pauperum oppressio : discordia : Ambi-
tio : Avaritia : Legum diuturno usu approbatarum temeraria ab-
rogatio : gubernandi ignorantia : Crudelitas : nimia indulgentia :
intempestiva imperii abdicatio. Causæ internæ à subditis prove-
nientes sunt : (d) Erga Deum pro beneficijs per pii Magistratus cu-

ram concessis ingratitudo: Erga Magistratum inobedientia: factio-
nes & seditiones. Causæ internæ à Magistratu & subditis simul pro-
venientes sunt: (e) impietas: libido: superbia: luxus: Intemperan-
tia: prava liberorum educatio.

4. Causæ externæ sunt: bella (f) externa: pestis: famæ: in-
sidiae clanculum structæ: sociorum suppetias ferre recusantium de-
fectio: subactorum, vel dedititionum rebellio.

5. Remedia (g) circa collapsum Reip: adhibenda sunt dupli-
cia: Alia sunt præservantia, quæ collapsum Reip: impediunt & viam
corruptioni præcludunt. Alia curantia, quæ laborantem & colla-
psam Remp: restituunt.

6. Priora adhibentur, cum vitia modò dicta, quæ intrinsecus
evertunt Remp: quæq; causæ internæ sunt ejus ruinæ, studiosè evi-
tantur: Cum Magistratus autoritatis propriæ studiosus subditorum
animos sibi prudentia, virtute & felicitate conciliat & se à contemtu
vindicat; Cum seditionum & factionum fomenta tollit & oportu-
nè præcavet, ne vires & incrementa sumant; cum luxuriantem po-
tentiam justo modo coérget; cum consilia in Reip: salutem directa
arcana habet: cum cives Reip: adversus bella diuturna æquas pacis
conditiones quærunt, & si offerantur, accipiunt, cum victos & de-
ditios humaniter & leniter tractant. Posteriora, Curantia sc. in-
plurimis cum prioribus coincidunt & pariter adhibentur, cum cau-
ſæ reip: ruiam inferentes tolluntur, imprimis verò cum seditiones
commodè sopiauntur, Tyrannis coérgetur & forma Reip: restituitur.

NOTÆ

(a) Duplex Reip: mutatio hīc à nobis attenditur: Altera
mutatio est secundum formam, & dicitur conversio: altera est ex-
trema declinatio, & dicitur eversio. De conversione notamus, eam
esse duplēm, perfectivam & corruptivam: Illa est Reip: in statum
meliorē evectio, quam non attendimus circa morbum ejus jam
occupati: Hæc detrimentosa est, ut cum regia gubernatio mutatur
in tyrannidem, Aristocratiā in Oligatchiam, & Democratiā in Och-
locratiam & formas similes. Cæterum conversarum & eversarum
Rerūmp: plurima hīc possemus subjcere exempla, si & instituti ra-
tio id ferret, & alias plus satis exemplorum non prostaret: Hinc
Beaxum̄ πλιδας χαρεν̄ ea mittimus, bene gnari, inter peritura-
nos

nos vivere & omnia mortalium opera mortalitate esse damnata, ut loquitur Seneca, & ita principatus etiam esse temporarios, & nihil publicè stabile esse.

(b) Spuria Causæ, quæ vel omnino non influunt vel modo tantum indirecto, quibus tamen à vulgo aliqua efficientia attribuitur, removendæ prius sunt, ut intelligantur veræ: & quia obscurum est, quid sibi velint illæ aut quid autores varii per eas intellexerint, pauca de paucis notamus. A numero Imperiorum mutationes dependere Plato statuit, cuius sesquitercia radix quinario juncta duas efficit harmonias; ultra quas cum natura deteriores gignat, circumactam periodum finire imperia docuit. Quæ verba Sybillæ folijs obscuriora, unde quæ propria eorum sententia, acutissimi Philosophi, postquam conatu irrito plurimum temporis illis solidè explicandis impenderunt, se ignorare, apertè fuerunt professi & prisco & nostro seculo. Ciceroni Plato aliàs magnus fuit, at idem alicubi numero Platonis nihil obscurius esse afferit. Per certas stellarum positiones intelliguntur conjunctiones magnæ Planetarum aliquid mali semper portendentes. Fatum non supponitur Theologicum sed Stoicum, planè stolidum & fatuum: quod definiunt sempiternam quandam & indeclinabilem rerum seriem & cænam, volventem semetipsam, sese & implicantem per æternos consequentia ordines, ex quibus apta connexaq; sit. Per fatales periodos intelliguntur circuitus annorum quingentorum aut septingentorum, quos non modo insignes rerumpub: mutationes, sed & eversiones regnorum aliquando attulisse observatum est à nonnullis.

(c) Darius olim Justiciæ sacrificans dixisse fertur: ô Domina, si qua usquam es! innuens se jam pridem eam querere sed nusquam invenire. Pari modo nos jure jam proclamare possimus, imprimis si ad Germaniam nostros convertamus oculos; in qua cum ejulantे aut ferè exulante justiciâ, quæ regnorū salus & quies, dominetur & triumphet injusticia, quæ caput & fons omnium in Rep: turbarum, non mirum est respub: pestilentissimo illo morbo adfictas non decumbere sed curriculo properare ad sepulchruw. Adeò veritati consentaneum est, quod apud Euripidem legimus, Justiciæ negligētum plerisq; civitatibus exitiosum esse; & prostant exempla subinde excitatarum ob negligētum ejus cultum tristissimarum Tra-

gædiarum. Pauperes si opprimantur, & subditi si nimia tributo-
rum axactione macerentur, facile hostili animo seditiones exci-
tant, deficiendi occasionem atripiunt & quævis machinantur ut
libertate fruantur. Pestilentissimæ Principum inter se dissidentium
discordia imaginem habemus in lauru egregiam: ut enim ejus rami
ex collisione mutua ignem elicientes sibi ipsis & toti arbori incen-
dium & exitium inferunt: ita & imperij Principes discordes collisis
inter se viribus se ipsos mutuam in perniciem agunt, toti vero im-
perio ruinam adferunt. Animorū consilia & actiones talium similes
sunt belluz multorum capitum & plurium caudarum, quæ fortè
agitata sepe transite conatur, quia vero capita diversa foramina
quoq; diversa querunt, ita sit, ut simul & corpus & caudæ maneant
immota, & impediuntur, quo minus ulterius progrediantur: quo
simili Ibrahimus Legatus Solimanni Turcarum Imperatoris in con-
ventu electioni Maximiliani II Cæsaris indicto Francofurti usus est
ad denotandam dissensionem animorum & distractionem virium
Principum Christianorū. Ambitio quām noxia sit imperio, vel
sola Pompeij & Cæsaris Φιλαρχία demonstrat. Et plura habendi
cupido lethale malum est: plerumq; enim illi qui suis non contenti
limitibus pluribus inhiant provincijs, perdunt ea quæ jam antea in
tuto locaverant. Leges si temerario ausu è civitatis tabulis dispu-
gantur, cives facile eo ipso ad pernicioſissimas turbas concitantur,
unde docent prudentiores, præstare duram legem veterem tolerare
quām præcipiti mutatione Reip: cardines vertere; & cum queritur,
an positas semel leges, quæ suā quidem veritate nituntur sed ali-
quid iniqui continent, mutare liceat; thesin negativam ut probabi-
liorem defendunt plurimi, hac tamen cautelā, nisi commodam le-
gum abrogationem aut summa utilitas suadeat, aut extrema neces-
sitas urgeat. Magistratus imprudentiam, cum ille vel lubricis &
procellosis consilijs involutus tumultuari judicio imperat, vel ad
nutum consiliariorum, ita ut ex se nihil depromere possit, vivere
cogitur, multum conferre ad imperii interitum in aprico est: Et
crudelitatem, cum universæ hominum naturæ maximè inimica sit,
politiis admodum perniciosa esse, quis inficiabitur? Indulgentia
& blanditia quantopere oblit, facile colliget, quisquis vel expende-
rit ita vitia foveri hominesq; strictioris disciplinae cancellis non co-
ereri,

ercent, vel ad autoritatem Pontificum Romanorum respexerit, mire
autem ex tali piorum Imperatorum indulgentia. Denique, republi-
vel externis vel internis periculis quassata & turbata, si Rectores ejus
Magistratu se abdicare vellent, qui non concideret Respublica?

(d) Homine pro beneficio ingrato, juxta dictum vetus,
nil pejus terra alit, imprimis vero praeficitæ frontis & praeficitæ
mentis homo est, quisquis Dei beneficia non agnoscit, & virtutem præ
coeteris enorme, si subditi paternam pii Magistratus curam à providâ
mente divina clementer concessam vel non agnoscunt vel vili pen-
dunt, vel & temerariâ quadam lasciviâ & ferocitate aspernantur;
quod ita ulcisci solet divina justitia, ut tyrannos immittat atrocissi-
mos & à nullo crudelitatis genere abhorrentes, qui postea eos co-
ercent & compescunt, non secus atque equi ferociores, si abutuntur
regimine leniori & sessores excutere tentant, compesci solent du-
riore capistro, flagris, fiscellis, calcaribus. Inobedientes si sint sub-
diti, contumaciam eorum comitabitur viis abjectaque de Magistratu
eiusque statu opinio, legum mandatorumque contemptus & malevo-
lentia: unde & parata seditionum semina & factiones publico sta-
tui extremam minitantes perniciem, non enim tantum omne san-
ctum & sacrum profanant sed & Reipublica hostibus optatissimam
eius opprimendæ occasionem suggurunt. Quid vero dices, est fa-
ctio & sedition? Respondemus nos & describimus eam verbis non
tam nostris quam doctissimi Belgarum Lipsij aliorumque Politico-
rum Doctorum, qui factionem dicunt paucorum aut plurium in-
ter se coitionem cumque civibus reliquis dissensum: Seditionem
vero multitudinis in Principem aut Magistratus subitum & violen-
tum motum.

(e) Cum pietas omnium legum omnisque honestatis fundamen-
tum sit, certissimum est Reipublicae augurium Impietas: qui enim
sublato aut corrupto fundamento non labefactaretur aut tolleretur
tota superstructa machina? Impietas ubi regnat, ibi abjurata quasi
religione omni & cultu divino neglecta superstitione pro devotione,
sordes & avaritia pro parsimonia, fraudes & rapina pro modo di-
tessendi legitimo, luxus pro liberalitate, perigrinari pro animum re-
creare, ambitio pro honestate famæ appetitu, & vitia pro virtutibus
habentur, probitas vero probro datur. Morbo hoc affecta Resp:

quomo-

quomodo sana esse possit? libidine verò blandissima quidem sed exitiali peste correpta (perpendat hie, cui res hæc est dubia, universalē diluvium, excidium Sodomæ, Trojæ ob raptum Helenæ περιπλεγματικῶν) qui non collaboretur? Superbia quam sit detrimentosa patet ex verbis Platonis: Superbus à Deo deseritur, desertus autem omnia interturbat, nec multò post superbiæ pœnas solvens sibi ipsi & familiæ & rei deniq; publicæ pestem ac perniciem accersit. Luxus & intemperantia sive Principes delectentur sive populus, nervos Reip. succidunt, bona absunt, ærarium exhauriunt, tempus negotiis civilibus impendendum inutiliter terunt & plurima simul mala invehunt. De pueris si per ignaviam & libidinem ducantur, nec honestè informentur, quid boni sperari potest? Cum cerei sint in vitium flecti & proclives ad vitia, educatione neglectim habitâ ex malis deteriores fiunt, & vitia secum in majorem ætatem transferunt. Hinc si quis ex iis ad clavum Reip: promovetur, commissam Reip: navim omni exponit periculo; si verò inter subditos locum invenit, effractis obedientiæ repagulis superioribus pertinaciter reluctatur, & in omnem turpitudinem fese diffundit: Hinc nil nisi Reip: pernicies.

(f) Bellis externis miserè affici etiam florentissimas Resp. nemo fortè in hac temporum difficultate negaverit nisi præteralia exempla quām plurima cladem Germaniæ almæ nostræ nutricis & patriæ tantum non mortuæ ignoraverit. Nos oblatâ hac occasione ipsorum faciem breyissimè delineabimus: Et ita notamus. 1. nominis originem, de quā Philologi diversas sovent sententias: nos illis ad stipularemur qui bellum οὐ τὸ πόλεμον dictum putant, quasi minimè bellum nisi allusiva hæc yideretur derivatio: Cum Scaliger o igitur dicimus potius bellum dictū quasi duellum, quod sit inter duos vel duas partes. 2. Definitionem: Est bellum in genere actio hostilis à parte Reip. Majestatem habente contra aliorum vim suscepcta. Vel ut alias describitur: Est dissidium armatum duorum contrariorum exercituum. 3. Divisionem: Aliud est legitimum & justum: aliud illegitimum & injustum. Illud æstimatur ex 1. cause. 2. modi. 3. finis honestate, de quibus paulò post. Hoc verò ex essentialium horum requisitorum defectu. Sed hæc obiter! jam ad reliqua. Constat externa bella cladem inferre Reip: & pariter nocent pestis

pestis & famæ, dum magnam hominum stragem edunt, & quos offendunt, perimunt. De insidiis & reliquis malis externis nullum est dubium quin mutationum & eversionum causæ existant.

(g) Morbo cogito etiam salutaria remedia & efficacia corpus Reip. ægrum ab interitu vindicandi antidota notanda sunt, qualia censemus ea, quæ breviter enumeravimus in præceptis: quæ cum satis nota sint, & suâ luce radient, aliunde ea illustrare supersedebimus. Tantum oculis ad Germaniam nostram afflictissimam, quæ morbo belli pestilentissimo affecta animam jam jam agit, directis ad supremum Numen mentem elevamus devotè supplices ut tandem salubri pacis remedio reformat & restauret quicquid in eâ violentissimâ cladis bellicæ lue correptum & turbatum est, ne nervis incisis & compagibus solutis plane corruat & in cineres delabatur: Cùm quo voto progredimur ad

QUÆSTIONES.

1. An rectè Plato causam vicissitudinis Rerumpubl: posuerit in Numero?

Spuriam eam causam modo vocavimus & spuriam esse, seu præter rem ejusmodi effectum ei assignari jam probabimus. Et cum numerus ille specialis nobis sit Sphyngis ænigmate obscurior, & à doctioribus impossibile judicetur ut illa sesquitertia ratio comprehendendi vel unam harmoniam præbeat, nos in genere de numero, rati quod quicquid de genere dicitur & negatur, idem etiam de specie ejus qualibet dici necesse sit, hoc proponimus dilemma: si mutatio Rerumpl. adscribenda est numero, numerus ille erit vel numerans vel numeratus. Non numerans, ille enim est quantitas nuda, cuius nulla est efficacia, cum materiam sequatur. Nec numeratus, vel conversio coeli certis numeris distincta: Motus enim coelestis non est tantarum virium, ut in hominum, ex quorum familiis certo ordine collocatis Resp. consurgit, voluntatem direcchè influere possit; illa siquidem libertate gaudet & determinationem nullam ab astris patitur: E. numero mutatio Rerump. non est adscribenda; quod erat demonstrandum.

2. An deser periodus Regnorum fatalis?

Nos ne curu nonnullistam veteris quam recentioris ævi scriptoribus hallucinemur ita hic procedimus: Per fatalem periodum in-

telligi potest i. Stoica quadam & inevitabilis necessitas & finis immutabili fato Reip. determinatus. Talis minime datur: Et licet proferri possint exempla non pauca mutatarum Rerum publ. circa annum à constitutione quingentesimum vel septingentesimum, vel etiam centesimum aut quemcunq; alium, non tamen ex eis concludi potest, omnibus Rebus publ. talium seculorum periodo perfecta sua imminere aut hactenus imminuisse fata, prostant enim exempla Rerum, quā partim ipsos terminos supergressa sunt, partim citius interierunt. Fatalis verò si esset periodus, vis causandi ubiq; procederet æqualiter. 2. Finis à divina providentia ex causis mutationis prævisis determinatus: Talis verè datur: nam *πάντα ἡδῶν θεοί φθαλμοί καὶ πάντα νόησις* ab æterno intuetur omnia, quæ futura sunt in tempore, unde & regnorum stabilitamenta & documenta itemq; statum integrum & collapsum Rerum publ. prævidet, uti dependet à suis causis: & ita necessarius est collapsus aut mutatio Rei publ. alicujus, habetq; terminum & periodum, non absolutè ob divinam eamq; infallibilem præscientiam (hic enim tantum est necessitas consequentia) sed ob causas præsuppositas quæ necessariò damnum Reip. inferunt, quas ipsas Deus præcognovit. Hoc sensu si de fatali queratur periodo, quis non affirmative responderet?

3. *An Rerum publ. conversiones & Eversiones praesciri possint conjecturaliter?*

Ajentium castra hic sequimur vel ob unicam hanc rationem: quod causæ corruptentes videri possunt, ex quibus immotè potest colligi quis sit Reip. status futurus; causas enim corruptentes non impeditas necessariò sequitur corruptio: Hinc de Repub. quæ non unius criminis rea est, sed omnium seriem in se complexa videtur, quæ religionum ferax, sterilis pietatis, in qua legum refrixit autoritas, & judiciorum mores ad pristinam aequitatis regulam non amissitantur, quæ luxu difflit & gaudet perfidia, in qua vigent seditiones & discordiae, aliaq; consimilia; licet iudicare, quod excidij fata sibi accelerarit & ruina ei præstò adsit; uti iudicavit olim Seneca sapientissimus, præclare inquiens: *Ubi non est pudor, nec cura juris, sanctitas, pietas, fides, instabile regnum est.* Quid ergo de Germaniâ nostra augurandum, dices, quæ vitiorum mancipium? nolim

lim ominari tristia, sed ex causis licet conjicere, quod longum, sae-
vum & indomitum hoc belli incendium longè latèq; jam flagrans
alium propediem non habiturum sit finem, quam ut trahatur & ex-
tendatur cum gravissimo Imperij danno, nisi quām primum voli-
tantibus flammis impedimenta objiciantur à summo rerum omni-
um rectore Deo, quod ut fiat ex animo vovemus.

4. *An seditio sit utilis Reipubl.?*

Certum interitura Reip. argumentum esse seditionem modo
diximus, eamq; inter causas morborum intrinsecus in Reip. corpo-
re nascentium fetulimus, unde non possumus non transire ad ca-
stra negantium quæstionem propositam: & quomodo, quo, id
posset Reip. esse salutare, à quo nullum abest scelus aut impietas,
quod infert subditorum & optimatum diversa studia & contentio-
fios conatus non tam publici quām privati boni gratiā, in quo absq;
legibus impune vivitur, cui sævitia annexa est & immanitas, à quā
vir bonus planè abhorret? Seditio hoc venit nomine unde, ex ea
maximè periclitatur civitas. Noxia igitur subditis consilia inculca-
vit & in Politicorum principiis impegi. Machiavellus, alias in rebus
politicis satis versatus, dum seditiones comprobavit, quo nomine ut
& quod pietatis fictum saltē cultum & perfunditoriam religionis
curam Principibus commendavit, à maximā gravissimorum Politici-
corum parte graviter incusatur & taxatur.

5. *An Christianis liceat bella gerere?*

Affirmativa sententia jam proposita est & defensa in disput.
quæst. 3 additis rationibus quæ possunt videri. Objicitur autem
fortè quod hic loci nobis contradicere videamur, dum bella licita
statuimus & tamen causas esse collapsus rerump. afferimus. Sed nul-
la hic est contradictio. Bellum enim quod in se licitum est & justum
vel vindictæ exercendæ vel defensionis gratia, jure divino & rectæ
rationis dictamine attestante, mala secum potest trahere & incom-
moda nec non in reip. vergere perniciem, sed secundarij, cum pri-
marij ejus fines alij sint. Et hinc pax honesta exosculanda & unicè
venanda, ablata etiam superbè nunquam repudianda, bellum verò
opere maxumo declinandum nec temerè suscipiendum. Si tamen
gens quædam violenter lacescat, parandum Dei mandato, insisten-

dum sanctorum vestigiis, naturæ ipsius ductus sequendus est & ca-
pessenda sunt arma, cæteris tamen paribus.

6. *Quodnam bellum sit justum censendum?*

Respondimus supra, justum bellum estimandum esse ex cau-
sæ, modi, & finis honestate: de quibus jam plura. Causa partim est
Efficiens principalis, Magistratus, cui jus, bellū legitimū suscipiendi
& finiendi, quod inter regalia, quorum dignitate armatus est, non
est minimum, competit. Partim impulsiva, quæ duplex necessaria
defensio, cum vis Reip. ab hostibus illata vi repellenda est: & justa
vindicatio, suscepta vel ob injuriam Deo & Reip. illatam vel ob bo-
norum ablatorum recuperationem. Modus belli legitimi gerendi
consistit in eo, ut 1. geratur piè divino auxilio implorato & corde ad
Deum converso. 2. justè, legitimâ denunciatione præmissa & rabie
omni beluinâ & latrociniis remotis. 3 Prudenter, vel aperto Mar-
te, vel per cuniculos & strategemata honesta, necessariis belli in-
strumentis mature antepræparatis. 4. fortiter, animoq; præsenti
& imperterritu. Inter belli fines præminet Dei gloria, ad quam
omnes nostri dirigendi sunt conatus. Speciales fines sunt Reip.
conservatio & pacis acquisitio. Est verò pax ordinata & perpetua
quies ab armato dissidio seu tranquilla vivendi sine ullo hostium
metu libertas. Istius & nomen dulce est, res ipsa verò & jucunda
& salutaris.

7. *An barbari, à quibus nullā sumus affecti injuriā,
bellum inferre liceat?*

Arguitur quod sic: quia Charitatis Christianæ opus esse videtur
barbaros & infideles ad veram fidei religionem adducere eorum
demq; vitam corrigere; justum esse videtur delicta eorum punire &
peccandi licentiam eis eripere; æqvum esse videtur, ut Christiani
ceu digniores imperent Ethnici ut deterioribus. Verùm parum in
hisce roboris & infirma est consequentia, id quod petenti facile de-
monstrabimus. Verior igitur sententia negativa, quæ nostra est,
quam & Divus Augustinus suo comprobat calculo, inquiens: In-
ferre bella finitimi & inde in cœtera procedere ac populos sibi non
molestos solà regni cupiditate conterere & subdere, quid aliud
quām grande latrocinium nominandum est? Aliorum hæc est sen-
tentia

tentia quod justum sit ejusmodi bellum & occupatio, si barbaræ nationes non invadantur libidine dominandi, non cupiditate gloria & divitiarum, non ex ultiōne privata: verūm his etiam conditionibus observatis, nondum tale bellum laudari potest, imprimis si barbari illi legitimū Magistratum habeant, ut enim nostra Christianismi professio barbaris justa belli offensivi causa esse non potest, ita nec nos sola gentis barbaries, quā lāsi non sumus, sufficienter instigare potest ad eos subjugandos. Quocunq; alias captum est ex hostiis, dominio vitoriū rectē subjicitur, si bellum sit legitimū.

8. *An quævis pax bello sit anteponenda?*

Homerus Poëtarum Princeps in Achillis clypeo duas singit atq; pingit urbes, alteram togatam, alteram sagatam: in illā ceu pacatā communis vitæ exerceuntur officia & vigint florentq; omnia: In hac ceu perturbatā omnia jacent perculsa, prostrata & confusa. Declarare ille voluit hoc figmenti involucro, bello pax quid præstet, aut quid interdit: Alij idem docuerunt amplissimis & gravissimis pacis elogiis, convitiis in bellum sparsis: Nos quid commodi habeat & voluptatis pax, facundissima illa prosperitatis nutricula & mater, in exulceratissimi hujus feculi labe & tābe, carendo magis quam fruendo edocti sumus. Hinc uno ore omnes pacem cū Poëtā vocamus auream & optimam rerum, quas homini novisse datum est: Ut enim bello contristari omnia, ita pace non modo ij quibus natura sensum dedit, sed & tecta atq; agri lætari videntur. Frustra igitur, inquies, proposita movetur quæstio, cum tanta pacis sit utilitas & belli incommoda longè maxima & plurima? Verūm respondemus pacis elogia respicere pacem honestam, certam, & diutinam, non verò fucatam, turpem, noxiā, & ignominiosam, quam servitus, in quam libertas Reip. mutatur, infamat, quā dolo malo bellum queritur & dominium: tali paci ignominiosæ, cum servitus omnium malorum postremum sit, bellum justum præfendum est: Demosthenes præclarè: πόλεμος ἐνδοξός εἰρήνης αὐχεῖται πάπος. Cui & nos subscrivimus.

9. *Quomodo in curatione Tyrannidis sit procedendum?*

Notum est Tyrannorum studium, quod res regni in usum privatum conferunt, ad enervandas subditorum vires bella non necessaria

cessaria movent, & inexplebili auri cupiditate subditos expilant
& rati quod quicquid libet sibi liceat, omnia pro libitu agunt & ho-
stes sunt tranquillitatis & turbatores salutis publicæ: Quod si jam
eveniat ut ex eorum perverso studio laboret resp. manus ei adhi-
benda est medica, sed cautè: unde de modo curandi necesse est ut
simus solliciti. Censemus verò facilius posse curati Tyrannidem
aut crudelitatem in statu populari & Optimatum, quam in mono-
cratia, in illo enim senatu ejiciendus est qui potestate abutitur; In
isto uni, qui degeneravit, resistere possunt reliqui, utrobiq; vero
præcaveri potest illa crudelitas, si Magistratus sit ambulatorius: In
hac, ubi propriè invenitur Tyrannis, videndum,anne Tyrannus sit
in titulo & occupatione, an vero in exercitio & administratione, &
hic præterea anne sit Majestatis integræ & absolutæ potestatis, an
vero potestatis limitatae.Tyranno in titulo resisti potest & si tollatur
è medio, excusatetur Tyrannicida. Tyranno vero in exercitio si ab-
solutæ sit potestatis non nisi precibus ad Deum fuisis resistere licet, si
vero quem superiorem in imperio recognoscit, coram eo conve-
niendus est: Et si Ephori ipsi constituti sint, ut in Imperio nostro
Romano Germanico Electores serenissimi, illorum auxilium implo-
randum est.

AXIOMATA.

1. *Cognitis causis collapsus Reip. facile etiam cognoscuntur re-
media, utpote quæ perinde ut in Medicina à con-
trarijs desumi debent.*
2. *Deus est qui regna transfert & confert, qui erigit & de-
struit, qui solio regali imponit Reges eosdemq; inde
deturbat.*
3. *Nulla tam potens est resp. vel regnum tam opulentum quod
fese adversus Deum, si eum graviter offenderit, tu-
eri posse.*
4. *Cometa & sèpius signa sunt eversionum rerumpub. Terra mag-
nus signa & instrumenta.*
5. *Facilius est fraude quam vi mutare Rempublicam.*
6. *Remedium evitandarū insidiarum est diligens indagatio,
& in eos, qui deprehensi sunt, gravis animadversio.*

7.Fa-

7. Factionibus ita obviandum, ut legibus interdicantur, ambitiona certamina excindantur, & conventicula secreta non permittantur.
8. Si universa plebs tumultuerit, citius corrigitur, si molitus quam si severius tractetur.
9. Post seditionem à mitioribus remedij ducendum est exordium; quibus rejectis asperiora adhibenda.

ADDITIONALIA.

1. An bellum suā naturā sit malum? Neg. Alias enim nullum bellum justum dici posset; & peccassent enormiter viri sanctissimi qui bella gesserunt.
2. Anduellum sit comprobandum? Duellum aut est totius belli representativum, quale illud inter David & Goliathum: aut vindicatorum, quo in anis gloriola vel vindicta private cupiditate duo manus conferuntur: illud olim usitatum erat, jam vero incertam fortunā aleam, ne totus exercitus & integra respubl. periclitetur, improbatum à multis & recte quidem: Hoc cum contra mandatum Magistratus fiat, planè vitiosum & illicitum esse judicatur.
3. An tormentorum bellicorum usus sit licitus? Aff. cum in bello justo quoquis modo honesto de hoste vindictam sumere liceat & olim similes machinae recte adhibitae legantur.
4. An prditiones & explorations in bello sint tolerandæ? Neg. de illis, qua fiunt à civibus vel conjunctū contra bonam fidem & cum perjurio, Aff. de his, qua fiunt ab hostibus animo bono, & si bellum sit legitimum, fine non malo.
5. An urbes cingendæ propugnaculis? Aff. Cum enim corpora tegantur clipeis & armis, cur non & urbes adversus hostium impetum muris cingerentur & propugnaculis?
6. An ob negatum transitum justè possit bellum inferri? Neg.
7. Utrum Reip. sit perniciösus terrestre quam navale bellum? Aff.
8. An fides hosti data sit servanda? Aff.

E T

Sic nostra attingunt meletemata Præctica portum:
Sit tibi, summe D E U S, gloria, laus & honor.

Lite-

Literatissimo & Prestantissimo Dn. RESPONDENTI.

Res populi nosse, & veras inquirere causas
Damnorum Imperij, pulchrum est, vel judice Momo:
Pulchrius auxilio lapsam reparare salutem
Et removere malum: facies pulcherrima rerum,
Pax ubi plena viget damnis & fraude remotis,
Quod si solerti Magnates mente piisq;
Exigerent curis, pax aurea, dante Jehova,
Quam jam supplicibus votis deposcimus, oras
Viseret has nostras, iterum squalore situve
Deposito ingenuæ florarent Palladis artes.
Vestrum est ô Proceres id procurare, mederi
Morbis Imperij vestrum est; expendere causas
Morborum est nostrum: Tua cura hic Docte JOHANNES
Digna est laude, labor felix, conamina pulchra,
Quæ patriæ spondent bona multa; sequantur, id opto.

M. D. S. Praes.

JOHANNES CRUSEMARCIUS

per anagramm: r in U mutato

USUS MIHI CURAE, NON ESCA.

Dic mihi cur cathedram dono pretioq; carentem
Scandū, amice, labor cum sine fruge siet?
Cur non socordis potius sectare Vacuna
Escam, que pigrū mellea ferre solet?
Hic USUS CURÆ MIHI sit NON ESCA Vacune,
Illud enim jubet & vult anagrammameum:
Immó segnities putrida est sentina malorum,
Sed labor atq; usus commoda multa refert.
Rectè respondes: telam modò texe receptam,
Hic usus factū præmia digna dabit.

Ita tibi

*amice & popularis dilecte ex
animo gratulor*

MICHAEL FABRICIUS,
Drissenensis Negomarch.

• 36 (O) 36 •



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729610829/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729610829/phys_0019)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729610829/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729610829/phys_0020)

DFG

tentia quod justum sit ejusmodi bellum & occupationes non invadantur libidine dominandi, non divitiarum, non ex ultione privata: verum his ei observatis, nondum tale bellum laudari potest, illi legitimum Magistratum habeant, ut enim non professio barbaris justa belli offensivi causa esse nos sola gentis barbaries, quā lāsi non sumus, si potest ad eos subjugandos. Quodcunq; aliās causas, dominio victoris rectē subjicitur, si bellum

8. An quævis pax bello sit anteposita?

Homerus Poëtarum Princeps in Achilleis atq; pingit urbes, alteram togatam, alteram sapientiam communis vitae excentur officia & vigilia. In hac ceu perturbata omnia jacent perculsa, prius Declarare ille voluit hoc figmenti involucro, sicut stet, aut quid inter sit: Alij idem docuerunt amissis pacis elogiis, convitiis in bellum sparsis: Non habeat & voluptatis pax, fæcundissima illa propter & mater, in exulceratissimi hujus seculi labore & tamen quam fruendo edocti sumus. Hinc uno ore omnia vocamus auream & optimam rerum, quas honestas est: Ut enim bello contristari omnia, ita pace natura sensum dedit, sed & tecta atq; agri latari igitur, inquietus, proposita movetur quæstio, cum litas & belli incommoda longè maxima & plausus spondemus pacis elogia respicere pacem honestam turnam, non vero fucatam, turpem, noxiā, & quam servitus, in quam libertas Reip. mutatur, malo bellum queritur & dominium: tali paci igitur servitus omnium malorum postremum sit, bellendum est: Demosthenes præclarè: μάλε μέτρα αρχαίς αἰρετώντες. Cui & nos subscribimus.

9. Quomodo in curatione Tyrannidis sit pax?

Notum est Tyrannorum studium, quod res vatum conferunt, ad enervandas subditorum vi-

B 3

